

*Capitula et Statuta super balya et libertatem morantium in via
majore urbis, inducta inventione discreti viri Ciroli
gubernatoris hospitalium Recomendatorum Domini Nostri Jesu
Christi et facta per Conservatores camere urbis officium Se-
natus exercentes.*

In nomine Domini amen. Infrascripta sunt capitula, statuta, et ordinationes, facte, dispositae, et declaratae, super balya, et libertatem morantium in via majore urbis, de regione montium, pro honore civitatis inclita alme urbis, et reductione ac renovatione dicte vie, rue, strade, inducta inventione ac industria discreti viri Ciroli gubernatoris ac rectoris hospitalium honorabilis Societatis Recomendatorum Domini Nostri Jesu Christi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de urbe, pro tempore guardianatus nobilium virorum Martini Speciarii et Jacobelli Grabiellis guardianorum Societatis predictae, per nobiles et prudentes viros Lellum Mathutii, Jacobellum Massy et Cicchum Lomoli Conservatores camere urbis officium Senatus exercentes, et Comparellum et Petrutium Lelli Lallis Banderenses, Lellum Pauli Antonimair, Macutum Tehuli Carumptum Ciabinii Tutii proinde et Andream Valente quatuor consiliarii felicis Societatis Valestriarorum et Pavesatorum Urbis Johannem Nelloli, Stephanum Johannis Sallery antepositos supra pace et guerra Romani Populi. Ex potestate arbitrio et balya dictis dominis a Romano populo attributis in privato et generali urbis Consiliis descripta ac publicata par me Johannem Pauli Andree notarium infrascriptum cum subscriptionibus aliorum notariorum infrascriptorum sub anno die et tempore infra scriptis. Quorum capitulorum et Statutorum tenores et series prout infra scribitur describuntur ad perpetuam rei memoriam et certitudinem eorumdem sub anno Domini millesimo CCC. optuagesimo sexto Pontificatus Domini Urbani Pape Sexti Indictione Decima mensis decembris die 20. et presentibus hiis testibus videlicet Francisco Stephani de Capogallis et Jacobello dicti Stephani notariis de Regione Trivii ad hoc specialiter vocatis rogatisque.

In primis quod nulli liceat paleas seu ligna et hujusmodi similia retinere in domibus positis inter Ecclesiam S. Angeli usque ad Ecclesiam S. Jacobi sive hospitale positum juxta Coliseum ad hoc in eis volentes morari ipsas inveniantur vacuas et tale Statutum non valeat pro illis ipsas paleas seu predicta volentes pro ipsorum bestiis retinere. Et si quis contra fecerit cadat in pena 50. florenorum auri applicanda Camere urbis pro medietate et pro alia medietate Camere Societatis Pavesatorum et Balestriorum urbis.

Item quod nullus audeat predictas domos discoperire et ipsarum partes ducere vel duci facere iu ruinam reservato si vellet eas renovare, ac etiam nulli liceat accipere seu accipi facere colupnas, tabulas, et marmoreos lapides, neque fenestras; ad penam predictam prout superius est expressum.

Item quod nulli liceat possexori predictarum domorum recipere salarium pensionis nisi quinque Solidos pro quolibet habitanti sive sit Ecclesiastica sive secularis persona sive cuiuscumque conditionis sit. Et si quis contra fecerit cadat ipso facto in penam predictam, et ita teneatur in simili pena qui recipit locationem si plus solverit quam prescriptum terminatum. Si vero domus fuerit terrinea et solarata cum orto post se Dominus ipsius domus habeat pensionem ex discretione guardianorum ipsius Societatis Domini Nostri Jesu Christi ad Sancta Sanctorum.

Item quod cuilibet liceat tam civi Romano quam forensi relevare seu relevari facere casalina in predicta strata manensia et ita intelligantur quod non habeant tangere seu impedire ortulos ab aliis preparatos et quicumque primo relevaret de predictis casalenis non teneatur solvere Domino seu possexori Casalini nisi 12. denarios annuatim sive possexor sit ecclesiastica vel secularis persona.

Item si Dominus seu possexores alicujus casaleni pugnarent (sic) alicui persone volenti casalenum predicti domini relevare quod predictus dominus puniatur et cadat in penam 50. florenor. Et casalenum ipsius applicetur Camere urbis. Item si predictus dicti casaleni possexor ex se vellet facere relevare ipse teneatur solvere seu restaurare expensas factas per aliquam personam. Et credatur juramento ipsius personae de expensis factis in dicto casaleno. Et si dictus dominus non relevaret seu relevari faciet per spatium unius anni teneatur ad penam 100. florenorum auri. Et casalenum ipsius applicetur persone que prius inciperat relevare.

Item quod quilibet habitator in predicta strata sit liber nec teneatur ire et adesse ad exercitum per romanum populum institutum et sit liber ac non teneatur accedere ad aliquam cavalcamat nec teneatur custodiam pergere circa muros seu portas. Et sit liber cujuslibet datie seu gabelle et quilibet habitator possit et sibi liceat vendere seu vendi facere vinum sive aliam apodissam. Et quilibet carnifex volens ibi bestias mactare non teneatur aliqua gabella, et quelibet persona cujuslibet artis volens ibi suum exercitum operare sit libera ab omni datia et gabella. Et sit exenta ac immunis vinculo et honore civitatis et hoc intelligatur de habitatoribus a platea S. Joannis Lateranensis usque ad Coliseum.

Item si casus esset ut ad exercitum pergeretur vel ad aliquam cavalcamat, quod nullus officialis neque civis romanus neque forensis audeat capere seu capi facere bestias caballinas seu aseninas vel cuiuscumque conditionis predictorum habitatorum ad penam 10. florenorum auri in quilibet die in qua retinetur predictas bestias contra voluntatem predictorum habitatorum. Et si qui contra voluntatem eorum dictas bestias retineret quod solvat patrono ipsarum bestiarum quilibet die 10. sollos pruisinorum.

Item quod si Domini de Capitolio nolent jux retinere habitatoribus predictae strate de aliqua injuria vel contentione eis facta teneantur ad Sindicatum et liceat unicuique habitatori petitiones porrigitur contra eos.

Item si Risse vel prelia vel insultus in predicta strata per aliquem moverentur contra habitatores predicti loci puniantur in pena quadrupli ejus quo punientur ex forma Statuti urbis. Et si evenierit quod predicti habitatores vellent se defendere ab illis qui insultum et aggressum facerent con-

tra eos et vulnera tam ad effusionem sanguinis quam sine ultimo mortis tormento predicti habitatores darent illis facientibus insultum et aggressuram ad penam aliquam minime teneantur nec teneri debeant.

Item quod quilibet habitator predicte contrate reputetur prout civis Romanus et habeat prout privilegium de secta sive Romanorum civitatis, nativitatis, ac etiam possint (sic) officia obtainere in Romana civitate secundum suam facultatem et proportionem ac etiam nulli liceat officiali capere seu capi facere pro represaleis seu parigio aliquem in predicta strata habitatore.

Item si predictis habitatoribus fuerit insultum sive agrassuratum nocturno tempore liceat eis campanas S. Angeli seu S. Clementis seu quatuor Coronatorum, vel S. Jacobi ad tumulum pulsare. Et si aliquis faciens agrassaram caperetur ducatur ad palatum capitolii et privetur vita sine aliqua sententia inferenda veluti conturbatores libertatis predicte et omnia bona sua confiscentur cammere urbis.

Item quod nullus habitator predicte strate capi possit ex delicto seu ex' injurya alicui facta reservato debito quod persolvere debetur cammere urbis intra terminum et limen sue domus cum habeant consuetudinem et statutum retineantur in Florenzia et tota tuscia et fieri diceret juxta illud Catonis exemplum simili (sic) et dicta et facta sequaris. Que captio dictarum personarum morantium in dicta contrata fieri non possit in loco predicto tantum. Et alibi extra dictum locum universis jus suum salvum remaneat nec istud capitulum vendicet sibi locum. Et quod captio dictarum personarum fieri non possit videlicet ab hospitali S. Jacobi juxta coliseum usque ad hospitale S. Angeli societatis recomendatorum predictorum.

Item officialibus predictis seu aliis venturis placeat supplicare pro predictis domibus seu Casalenis Ecclesiasticis et notificetur domino nostro pape et sua misericordia et pietate predicta statuta placeat confirmare. Et predicto Domino nostro Pape notificetur quantocius dignetur concedere omnibus habitatoribus prefate strate propter perpetuam axolutionem culpe et pene quam concessit populo Romano per sex menses proxime transatos. Et bulla et supplicatio predicte assolutionis fiant expresse camere urbis.

Item quod cum executio predictorum Statutorum Domino concedente siant firma et corroborata de ipsis Statutis extrahaantur privilegia et dentur ad conpraudum guardianis Societatis Salvatoris Lateranensis et puplicantur expresse camere urbis et divulgantur et notificantur per urbem et temporibus distinctis et comitatum tribus vicibus cum pretorio resonanti libertas predicte strate.

Item quod liceat et licitum sit et concedatur guardianis predicte Societatis posse jura retinere predictis habitatoribus et pro eis esse procuratores et defensores ipsorum et suorum bonorum et quod eorum libertas in cui... ab eis deputatis volenti faciunt consules mercatorum et consules Bombariorum et si quis habitator predicte strate cum altro litigium haberent quod infra centum florenos descendetur et exhibeat et retineatur tale litigium in executione curie guardianorum et bis in edomada teneatur quilibet litigare posse in die mercurii et die sabati.

Item si aliquis habitator commiserit rissas et lites ad unam vicem cum aliis habitatoribus in dicta strata vel aliis tam cum sanguinis effusione quam

sine teneatur puniri a predictis guardianis secundum statutum ipsum. Et si casus accideret quod guardiani predicti caperent aliquem diffamem male vite et conditionis libertatem habeant eum ducere et duci facere ad curiam Capitolii veluti manescalci. Et si aliquis habitator nolle predictis guardianorum obediens mandatis debitibus et honestis teneatur ad penam 25. florinorum auri. Et medietas predicte pene applicetur camere urbis et alia medietas Societati Salvatoris Lateranensis.

Item quod nulli liceat habitatori prestare seu prestari facere ad usuram puplice et occulte et si contrafecerit amictatur jura ipsius et predicti jur. non possit se compensari nec ad voluntatem et discretionem guardianorum qui tunc fuerint.

Item quod nullus Dominus seu possessor domorum sitarum in predicta contrata audeat collocare ad pensionem domum aliquam seu casalenum aliqui improbe mulieri neque alicui homini diffamato et si contrarium fecerit liceat guardianis predictis tales personam de domo expellere de facto et mandato duorum et non teneantur ad sindicatum predicti guardiani. Et ipsis licet concedere predictas possessiones personis bone sancteque vite.

Item quod liceat guardianis predictis posse accipere de facto et libero arbitrio 20. sollos ab habitatoribus strate predice et dicti guardiani non stent neque stare teneantur ad sindicatum in causa jam predicta. Et ista pensio applicetur Societati Salvatoris Lateranensis.

Item quod nullus guardianus predice Societatis cogatur stare ad sindicatum alicujus civis nec ad sindicatum per eos deputatos propter consuetudinem predice Societatis.

Item quod nulli liceat capere aliquem casalenum positum in predicta strata sive domum absque licentia et mandato dictorum guardianorum predictorum et quilibet teneatur facere se subscribi in cartabulo predictorum guardianorum volens in strata predicta comorari. Et si contra fecerit puniatur in penam 100. florenorum auri. Et medietas dictorum florenorum applicetur camere urbis et medietas Societati Salvatoris Lateran.

Item quod si casus evenerit questionis sive litis in solutione compunctionum predictarum domorum sive Casalinorum inter Dominos sive possessores predictarum domorum veluti tot habitatores quod predictam questionem non teneatur aliquis magister seu arbiter nisi guardiani dicte Societatis determinare ad penam 25. florenorum.

Item quod nullus manescalculus potestatem habeat faciendi gravare sive grandi aliquem in fossum habitatorem predice strate et si contra fecerit dictus magister teneatur ad sindicatum et posse sindicari de predictis.

Item quod nullus magister habeat potestatem posse aliquam personam capere seu capi facere in continentia predice strate de aliquo delicto vel crimen, exceptis hiis conditionibus infrascriptis videlicet quod fuerit homicida, latro, falsus, vel proditor reipublice romani populi. Tunc habeat liberam potestatem capere et capi facere tales personam illius proditoris circa alias quandoquidem personas non possit executionem agere nisi prius habita licentia a guardianis predictis.

Item quod si guardianis Societatis Salvatoris videtur quod comode fieri possit ut recollectio illorum denariorum qui expenduntur in festo Beate Ma-

rie mense Augusti fiat talis recollectio tribus annis et releventur casalena
predicte strate que dederunt roynam pro suxdio in predicta strata hominum
volentium commorari. Et liceat guardianis posse ibi ponere arma supra si-
gna Societatis Salvatoris Lateranensis.

Item quod auctoritate presentium capitulorum sit et esse debeat sublata
omnis et quecumque potestas et balya attributa et concessa Laurentio Fac-
ciante seu cuicunque alteri persone nempe et supra administrationem cum
exercitio reparatione. subgubernatione. supredictie vie majoris et habitantium
in eadem solum ex nunc mandato guardianorum supradicte Societatis qui
nunc sunt et per tempora erunt qui sint et esse debeant rectores et Guber-
natores et administratores vie prediecte et habitantium in ea. Itaque ipsi soli
guardiani per se ipsos vel alios sive alium quibuscumque vel cui commi-
serint et delegaverint in predictis et circa predicta ac dependentibus et con-
nexis ab eis habeant auctoritatem presentium capitulorum regendi manu-
tendi gubernandi administrandi et reparandi viam predictam et habitatores
iu eadem plenaria et omnimoda potestate.

Item quod Guardianis qui nunc sunt et per tempora erunt liceat et li-
citur sit concedere arma deferenda habitatoribus predictis vel alicui eorum
quando et quomodolibet ipsis guardianis videbitur sine aliqua pena civili et
per illum modum et formam quibus ipsis guardianis videbitur.

Johannes Pauli Andree
Prothonotarius Curie Capitolii

Sabas Nyci
Notarius Societatis

Petrus Sabe Juliani notarius dictorum Dominorum.

DOCUMENTO VI.

Senatus Romani Diploma supradicta capitula declarans.

Stephanus Cecchi Tasche, Cola Ceci Trinche, et Lucas Nannoli de Buc-
cabellis, Conservatores Camere, Sacri Senatus officium exercentes. Joannes
Andree Nucti Petri Gualterii Regionis montium, Petrus Retroso Regionis Tri-
vii, Cola Maguti Regionis columne, Antonius Rosaolini Regionis Campimartis,
Jacobus Parlantis Regionis Pontis, Matthutius de uattro Regionis Pario-
nis, Silvester Antonii Paloni Regionis Arenule, Johannes Paulus della Tor-
re Regionis Sanctieustachii, Processus Joannis Betralle Regionis Pinee, Pe-
trus Baffo Regionis Campitelli, Stephanellus Nucti Toczoli Regionis S. An-
geli, Johannes Paulus Venete Regionis Ripe, et Petrus Cecchi della Gio-
gia Regionis Transtiberim, Tresdecim capita Regionum alme Urbis. Ad
perpetuam rei memoriam. Honestis supplicium votis, et illis presertim que
alme Urbis conservationem et manutentionem respiciunt, libenter annui-
mus, et quantum cum Deo possumus, ipsa proseguimur favoribus oppor-

tunis. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte nobilium virorum, Guar-
dianorum, et Sindicorum, aliorumque officialium, et totius universita-
tis venerabilis societatis Recommendatorum Imaginis gloriose Salvatoris no-
stri ad Sancta Sanctorum de Urbe, series petitionis ostendit, quod olim
videlicet sub anno a nativitate Domini 1386, Pontificatus Domini Urbani
PP. VI, Indictione X, mense decembri, die 20, Officiales dicte Urbis
tunc ad ejus regimen deputati, et ad hec tunc temporis, plenam potesta-
tem habentes, considerantes quod quedam contrada, sita in Regione Monti-
um, ea videlicet via, qua pergit ad Sacro Sanctam Lateranensem Eccle-
siam, via major vulgariter nuncupata, adeo propter mortalitates, et alias
conditiones pessimas que tunc temporis illam multipliciter afflixerunt, fuerat
habitatoribus derelicta, adeoque defecerat, ut non via, sed solitarius locus
et quasi desertus, imo latronum spelunca poterat potius appellari, propter
multa inhonesta que committebantur ibidem, ad reformationem dicte vie,
certa capitula et statuta et ordinationes quasi infrascripta omnia continen-
tia in effectu, cum aliis quampluribus capitulis, inter alia, que propter su-
perfluitatem non curantur repetere de presenti, tam ad guardianorum et alio-
rum officialium dicte societatis, quam infinitorum aliorum civium Romano-
rum, hanc pro bono publico dicte urbis, magna cum solicitudine postulan-
tium petitionis instantiam ordinaverunt, et mandaverunt, de cetero invio-
labiliter observari. Que ex tunc demum per tempora, usque in hodiernum
diem, a Senatoribus, aliquique officialibus dicte urbis, et aliis omnibus ad
quos pertinuit, non tantum tolerata, sed etiam approbata, et confirmata, ac
in omnibus observata, pacifice extiterunt, prout hodie adhuc pacifice obser-
vantur, propter quod dicta via magnum incrementum accepit, in quo nunc
altissimi gratia perseveratur: Verum quia sicut eorum petitio subjungebat,
prefata capitula, statuta, et ordinationes, ad effectum magis congruum, et
clariorum intellectum, formamque meliorem reducere, ac illa corrigerre, emen-
dere, et reformare, ac aliter super inde providere, prout nobis melius vi-
deretur, ex potestate nostri officij, dignaremur. Nos itaque, visis capitulis,
statutis, et ordinationibus, supradictis, et confirmationibus eorumdem, et
habita informatione veridica, quod ipsa capitula, statuta, et ordinationes, a
dicto tempore ordinationis eorum, citra, fuerunt et sunt usque in hodiernum
diem pacifice observata, et usum habita prout hodie observantur etiam, et
habentur; ac percepto quod ea ordinatione, et observatione predictorum, di-
cta via, factis statutis, capitulis, et ordinationibus supradictis, et illis ut
premittitur observatis, fuit et ut ad bonam conditionem reducta, in qua per-
manet de presenti; quodque pro habitatione et manutentione dicte vie,
magna dicte urbis commoditas cognoscitur pervenire; attendentes etiam,
quod nihil prodest initia rei solidare, si demum valet presumptio ordinata
destruere. Illa sunt enim robusta atque diurna, que si prudentia incitat,
cura custodit; et ideo maior in conservandis rebus, quam in inveniendis est
adhibenda cautela, quoniam de initiis predicatio debetur invento, de custo-
diendis vero acquiritur laudata perfectio; eorum In hac parte petitionibus
annuentes, prefata capitula, statuta, et ordinationes, decreto et auctoritate
sacri senatus et nostrorum hujusmodi officiorum, pro comodo et utilitate dicte
urbis, et ut dicta via valeat futuris temporibus conservari, et majus